

Locus talis, quia genera non sunt ipsa per se, sed in ipsis speciebus sunt de quibus prædicantur, necessarium est si genus, ut genus de aliquo prædicatur, de eodem etiam species aliqua prædicetur, nisi fuerit proxima species ipsa generis prædicati. nam de animalibus non prædicatur animal, nisi tamen species de ipso prædicatur, quia ipsum est proxima species animalis, quod quidem omisit addere, quia neque utile eidem ad assignandum locum erat, uel etiam de hoc species prædicatur siquidem prædicatur idem de eodem, species equidem est animalis. Porro cum genera sint talis naturæ, necessario inquit, et quæcumque dicuntur habere aliquod genus, id est quibus inesse et accidere dicuntur genus aliquod, his omnino et specierum aliqua quæ sub genere inesse et accidere dicuntur. Item quæcumque denominatiue ab aliquibus generibus dicuntur (sic autem dicitur quibus accidit genus) necesse est etiam ut hæc a specie aliqua earum illius generis denominatiue dici, ut si scientia alicui inesse dicitur, necesse est etiam huic et aliquam speciem earum quæ sub scientiam inesse uel musicam, uel grammaticam, uel aliquam aliam. Nam si nulla species scientiæ inesse alicui, nec prorsus scientiæ eidem inesse, sed si denominatiue quis a scientiâ diceretur, ut sciens, hunc quoque necesse est etiam ab aliqua specierum scientiæ denominatiue dici. Vel enim grammaticum, uel musicum, uel geometram, uel in alia quadam scientiâ. Nam si a nulla neque diceretur sciens a principio, sed accipiendo uniuersale et dicendo, ut si scientiâ de aliquo prædicetur uel grammaticæ, uel musicæ, uel aliarum aliqua scientiarum prædicabitur, maneretur atque proficere dicitur ad prædicata uel accidentia, dicendo et si quis haberet scientiam uel denominatiue ab ipsa scientiâ dicitur. Nam quando scientiâ de aliquo sic prædicatur ut accidens eidem atque contenta sub ipso, de hoc etiam necesse est ut aliqua scientiarum existentium sub scientiâ prædicetur. nam quia hoc est uerum uniuersale, illud de quo aliquod genus prædicatur, de eodem etiam aliqua species prædicatur, et non potest esse aliquod genus subsistens nisi sit aliqua species, sit uerum etiam hoc cui dicitur accidere aliquod genus huic accidit etiam aliquid eorum illius generis, et hoc siue addendo cum illo inesse et accidere generis prædicationem faceret, siue etiam non adderetur ipsum inesse, uerum denominatiue ipsum a genere diceret, nam denominatiue prædicationes, ut dixit etiam in principio huius libri sunt ab accidentibus.

Si igitur aliquid ponatur dictum a genere quomodolibet, ut animam moueri, considerandum est, si secundum aliquam specierum motus contingat animam moueri, ut augeri, uel minui, uel corrumpi, uel generari, aut quæcumque sunt species aliæ motus, nam si secundum nullam, palam est, quoniam non mouetur. Hic autem locus communis est ad utrumque, et ad construendum, et ad destruendum. Si enim secundum aliquam specierum mouetur, manifestum, quoniam mouetur, et si secundum nullam speciem mouetur, palam quoniam non mouetur.

Illud quomodolibet indicatum est huius, siue denominatiue, siue etiam ad aliam eidem inesse genus, et exemplo denominatiui usus est, nam animam moueri dicendo denominatum a motu eum sit moueri, prædicatur de anima, similiter autem et ratio,

si anima inesse uel accidere aliquis diceret ipsum moueri. Porro hoc existente problemate, oportet respicere ad species motus, quæ sunt auditio, minutio, latio, alteratio, generatio et corruptio. Nam communius et nunc dicitur hos motus, perinde ac motus sit genus, et ab aliquo horum motuum etiam sit possibile esse de minutiuum efficere prædicationem, quo etiam modo constructi poterit ipsam moueri, cui si fit, si interuim habet anima, si augetur, si minuitur, si alteratur, si fertur, quod si nullus horum motuum ipsi inesse, destrueretur etiam positum a principio, ipsam moueri. Quod si secundum Xenocratem anima est numerus seipsum mouens, uel ergo ipsum augetur ab eodem uel minuitur, uel alteraretur, uel ferretur, uel interiret, uel generaretur, sed neque aliquid seipsum auget: Nam ab aliquo addito auditum augetur, quod extra est id quod augetur. Item id quod augetur uel minuitur, uel alteratur incidere in alium numerum, et ex sua propria substantia exiret atque se grediret ex suo esse quod erat. Item nec aliquid seipsum generare nec corrumpere potest, minimeque a se ipso, quare nec numerus potest, uel sic diffinitio anime esset destructa et diffinitiuum problema. Quod si quis diceret accidere substantiæ anime existentis ipsum moueri, ostendentes quod nec augetur, nec minuitur, nec secundum locum mouetur, nec fit, nec corrumpitur, nam nullum in corporeum potest aliquid horum pati. Item ostendentes quod nec alteratur, quia alteratio est secundum sensilis differentias, quas non recipit anima cum sit incorporea, tollemus sic etiam et destruimus positum. Item si quis diceret eum pati, oportet ipsum uel latari, uel tritari, aut metueri, uel desiderari, quod si nullum in horum deo inesse consentaneum est destrueretur etiam ipsum esse passibilem. Rursus si peccans aliquis inuitus peccare diceretur, oportet ipsum uel ui, uel ignorantiam peccare. Nam hæc sunt species inuiti inuoluntariæ, quod si ui, oportet eum extrinsecam causam habere, et nihil ipsum conferre ad hoc, nam tale est illud quod ui fit: si uero per ignorantiam, oportet singula ignorare in quibus consistit actio. Nam qui peccat uniuersalis ignorantia, et si ignorando peccat, non tamen per ignorantiam, sed per seipsum peccat, nam ipse talis ignorantia est causa, ut in tertio libro de moribus ad Nichomacum ostensum est, quocirca neque illi ignoscitur, si uero auditor, nec ui, nec ignorantia peccaret, neque inuitus peccaret, sic certe destrueretur hoc scilicet peccata esse inuoluntaria. Postremo quod ad destructionem et constructionem locus utilis sit, perspicuum est, nam ostendentes quod nulla species generis inesse proposito, destrueremus problema: quod si ostenderetur aliqua species generis inesse proposito, constructi poterit genus inesse ipsi.

Non abundantiam autem argumentatione ad positionem, intendendum ex definitionibus, aut quæ sunt propositione rei, aut quæ uidentur, et si non ab una, sed a pluribus. Facile enim definitibus argumentari erit, nam ad definitiones facilis argumentatio est.

Uidetur iam mentionem fecisse in prædictis de argumentis a loco diffinitionum, per quæ dixit. Alius est facere diffinitiones accidentis et cui accidit, uel amborum secundum utrumque, uel alterius, nam a diffinitionibus uelut ab euidentiis oribus, in eo quoque loco putauit argumentationes sumendas esse. Hoc autem idem etiam dicit, unde hoc non diffinitibile, sed per diffinitionem accidentis est destructio et constructio, hæc autem sunt diffinita in quibus queritur

Vide Pl
ne. 10. ad
go de
bus. ad
c. m. sp
tus pon
uult. ac
nullo m
corpore
moueri.
decima
diuersa
dicitur
nes Ar
q; nihil
tra Plat
cōstitut
ge. de
ni. de
bus inu